QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. MENSIS FEBRVARII,

MAGISTRO PETRO SAVARE DOCTORE MEDICO MODERATORE.

664.

An melancholicorum in medendo præstantior ἀγχίνοια?

MVNDI & hominis materia ἄμορφος, ἀγένητος, ἄφθιτος καὶ ἀμετάβλητος eadem est & vtrique communis quæ γενέσεως καὶ φθορᾶς, modò κοσμοποιός, modò κοσμοφθόρος tum cælestium, cùm sublunarium, quorum partes elementa simplicissima sunt & impermixta corpora, vtrisque qualitatibus in summo subiecta, ipsáque in locis proprijs sita ἀνενέργητα καὶ ἀπαθῆ, licèt in stirpe siue alio mixto viuente haud similia: alterantur enim, transmutãtur, & tota totis commiscentur, quorum μίξει καὶ κράσει ἑτέρᾳ temperamentum exsurgit ἕτερον, tum ad pondus, cùm ad iustitiam, substãtijs & qualitatibus coalitum: quod vnum sit & idem in multis, hoc opus, hic labor, cùm ne duo sanè homines similes temperamento nusquam ob cordis nec primò viuentis, neque vltimò morientis; iecoris humores varios vnà, vno calore, vnáque opera præparantis; vẽtriculi, insita proprietate, caloris natiui operâ chylum perficientis, eóque ipso enutriti in totum imperium, atque temperamenti per singulas ætates, mutationes varias, quarum dispositione in corpore vel biliosus vel melancholicus humor generatur, qui biliosum vel melancholicum totius temperamẽtum obeundis animalibus functionibus præstantissimum, naturalibus verò sanguineo minùs aptum.

MElancholicõn principes facultates sedibus non distinctæ tam rectè peraguntur quàm biliosorum celeres motus, aut sanguineorũ naturales functiones, quorum tanta est & mentis & animi constantia, vt à fine proposito non facilè discedant quoad rei veritatem notitiámque elicuerint, vt difficillima atque ardua quæque facillimè penetrent, maturi in peragendis atque suscipiendis consilijs, morborum dignoscendis generibus, singularúmque partium temperamentis, vt in quibus tanta est spirituum animalium copia & calor natiuus vberior, cælestis quidem nec elemẽtaris: hi quippe ad munia quæque obeunda ingeniosiores prudentioresque sunt, licèt in ijs timiditas atque solitudo præsto sint, acquirendis virtutibus valdè conferentia, ratiocinatione enim & memoriâ valent, quibus omnium pueri imbecilliores, iuuenes licèt animosiores videas.

MEDICINA duobus velut cruribus sustentatur λόγῳ καὶ ἐμπειρίᾳ, quæ Medicum naturæ parentem, labore assiduo atque vigilijs senescentem, in morborum διαγνώσει καὶ προγνώσει canescentem desiderant, qui præterita & futura præsentiat, causásque morborum omnes facillimè percurrat, animóque perlustret, sicque cuiuscúmque morbi euentus signis proprijs & pathognomonicis diuinetur, vtpote qui sanguine melancholico ad intelligentiam & sapientiam multùm faciente sit præditus, in vere & autumno præsertim anni totius partibus æqualibus, in quibus ad risum propensiores & amœna loca, lucida, spatiosa, hortos & viridaria efficiuntur amantes.

CVM autem non omnis ferat omnia tellus, hîc segetes, illic veniunt feliciùs vuæ, sic regio omnis ingenij & mentis quoque illustres viros, & ad acquirendas virtutes idoneos, non generat: segnes enim ac somnolentos pinguis & humida tellus: sterilis autem & altiori situ munita, æstate Solis radijs exusta graciles & ingenio acutiores, perspicaciores: mollis alioqui candidi & obæsi hebetiores: macri contrà nigri & hirsuti; ἐπίφλεβοι citiùs melancholici fiunt, sensibus tum internis cùm externis valentiores.

QVIA igitur longè maior est melancholicorum in rebus attentio, coniectura certior, obseruatio, experientia atque constantia, ob calorem mentis sedi proximum, spirituum animalium nobiliorem elaborationem, cerebri naturali motu mouentis temperiem exquisitiorem, tactum quoque exquisitissimo sensu præditum, à quo interiorum sensuum natura detegitur, ingenij solertia demonstratur, quâ ad animæ altiores functiones opus est: ad bonitatem quippe intellectus & sapientiæ perfectiorem statum plurimùm conducit.

Ergo melancholicorum in medendo præstantior ἀγχίνοια. 111

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS FOVQVE' Damfrontensis, Anno R. S. H. M.DC.XXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. CLAVDIVS QVIQVEBOEVF.
M. THOMAS GAMARRE.
M. ANTONIVS CHARPENTIER.
M. FRANCISCVS PIIART.
M. PETRVS GIRARDET.
M. ANTONIVS ROBIN.
M. IOANNES LE MERCIER.
M. MICHAEL TOVTAIN.
M. ROBERTVS LE SECQ.